


## **Partis II. Illustriorum Jesaiæ Locorum Dissertatio XV. De Incessu Jesaiæ Nudi Et Discalceati : Ex Jsai. XX. v. 1.2.3.4.**

Rostochii: Typis Nicolai Schwiegerovii, [1702]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1003435939>

Druck Freier  Zugang





R. U. - theol 1702 Malichhorst, Andreas Daniel 1a

PARTIS II.  
ILLUSTRIORUM JESAIÆ LOCORUM  
DISSERTATIO XV.  
DE

**INCESSU  
JESAIÆ  
NUDI ET DISCALCEATI,**  
EX JSAI. XX. V. 1. 2. 3. 4.

Quam

Auxilio DEI-Hominis & R. FCTis Theol. Consensu,  
PRÆSIDE

**ANDREA DANIELE  
HABICHHORSTIO,**

S. Th. Doct. ejusdemque PP. & Consiliario  
Consistoriali, nec non FCTis Theol. & Collegii Ducalis  
totiusque Universitatis Seniore,  
Academicæ sententiarum collationi,

*add. Jun. 4. 1702, in Audit. Majori instituenta*

*sistit*

**JOH. FRIDERICUS RAHN,**

Sedin. Pom. SS. Theol. Studios.

ROSTOCHII, Typis NICOLAI SCHWIEGEROVII, Ampl. Senat. Typogr.


PARTIS II.  
ILLUSTRATIONUM IESAIÆ LOCORUM  
DISSERTATIO XV.  
DE

INCESSU

DEO  
ET

PATRIÆ.

H. ARICHHORSTIO  
S. Th. Doct. eius  
Consistoriali, nec non  
Academice literarum  
collatoris  
Jun. A. 1702. in  
Joh. FRIDERICUS RAHN.  
Sedn. Pom. 25. Theol. Studiol.



Rostockum, Typis Nicolai Schweserorum, Anpl. Senar. Typogr.

De  
*Incessu Jeseia nudi & discalceati.*

Hactenus Jeseias *sigillatim* contra gentes Cusch & Mizrajim in gemino Massa vaticinatus est, & quidem contra Cusch c. 18. contra Mizrajim c. 19. ex quibus etiam loca quaedam dilucidare voluimus. Nunc verò sequente cap. 20. eosdem conjungit, & prædicta duo vaticinia jussu DEI signo quodam obfignat, idemque signum, *deponendi* scilicet *sacci pedumque discalceandorum*, tanquam *typum* gentium harummet denudandarum proponit. Conjungit verò illas, tum respectu ipsarum gentium, quia scilicet contra Assyrium foedere erant conjunctæ, & in supplicio per Assyrium illis inferendo jungendæ; tum respectu Israël, qui cum animos fiduciali ad Dominum DEum suum respectu sumere deberet, ad inanes potius opitulatores, gentes jam dictas Cusch & Mizrajim, oculos referebat animosque convertebat. Unde Israel non tantum in præcedd. capp. 18. & 19. de vanitate illius fiduciæ in gentes istas positæ, & protectionis ab iisdem speratæ, per plagas illis gentibus prædictas, informandus: Sed & signo s. *typo*, quod oculis ejus obversaretur, signo inquam vel *typo* *incessus Propheta nudi & discalceati*, hoc præsentis cap. 20. confirmandus erat. Quapropter & Propheta dicto hoc capite, vers. 4. captivandam Ægyptum & deportandam Cusch conjungit, iisque calamitatem incessu hoc divinitus injuncto præfiguratur. Ita enim versu 2. cap. 20. verba ejus habent: כעת יהיה דבר יהוה: ביד ישעיהו בך אמץ לאמר לך ופתחת השק מער מהניך ונעלך

DISP.  
XV.

ונעלך החליץ מער רגלך ויעש כן הלך ערום ויחוק:  
 il. e. in tempore illo loquutus est Jehova per manum Jesaiæ filii Amoz, dicendo: vade & solve saccum de lumbis tuis & calceamentum tuum solve de pedibus tuis: & fecit sic, eundo nudus & discalceatus &c. Cum verò hic *typus* & *signum* *incessus* Prophetæ *nudi* & *discalceati*, tum quoad *mandatum* & *executionem*, tum quoad *applicationem* controversiis dubiisque non exiguis obnoxius deprehendatur, operæ pretium erit hunc quoque *incessum* Prophetæ, & *saccum*, quem solvere jussus est, ut *nudus* incederet, paulò penitentiis confiderare. Quo *sine sensum* loci genuinum ex fonte scrutabimur *usumque* subjungemus.

§. 2. Ut verò congruè hoc moliamur & lucem aliquam loco huic tœneremur, *analysin* prius capitis totius 20. paulò brevioris dabimus, quàm dubia, *sensus* evolutionem impediencia, proponamus & expediamus. Duabus vero partibus prophetia capitis 20. *typum* utriusque gentis Ægypti & Cusch denudandæ exhibentis, absolvitur: & in priori quidem habetur *typi* hujus, nempe *incessus* Prophetici, *injunctio* & *executio* v. 1. & 2. posteriori verò *typi* hujus explicatio & *applicatio* ad Mizrajim & Cusch, per captivitatem & deportationem denudandas & discalceandas v. 3. 4. 5. & ult. Circa I. scil. *incessus* *injunctionem* & *executionem*, parte priori descriptam, quinque occurrunt momenta illuc spectantia (a) *Chronologia* seu *tempus* mandati *incessus* v. 1. (β) *subjectum* *incessus*, nempe *Jesaias* v. 2. (γ) *mandatum* ipsum: *vade & solve saccum* ibid. (δ) *forma* *incessus* ibid. (ε) *executio* mandati *incessus* ibid. Circa II. nempe *typi* hujus vel *incessus* *explicationem* & *applicationem*, parte posteriori additam, non tantum *verborum* venit notanda, in qua (a) *tempus* *trium annorum* designatur v. 3. (b) *subjectum* *applicationis* nominatur,

natur, quod sunt *Mizrajim & Cusch*, ibid. sed & à modo-  
 cis consideranda, in qua (a) habetur *causa secunda* abdu-  
 ctionis & denudationis, incessu hoc præfigurata, quæ est  
*Rex Assyriorum* v. 4. (β) repetitur *subjectum* abductionis  
 & denudationis, quod sunt *Mizrajim & Cusch*, sine di-  
 scrimine ætatis ignominiosè abducendi v. 4. (γ) additur  
*effectus*, qui est *clientum* in Ægyptos & Cuscheos confiden-  
 tium (1) *stupor & confusio* v. 5. (2) *vanitatis fiducia sua con-*  
*fessio* v. ult.

§. 3. Præmissâ sic analysi, dubia nunc tam minus *princi-*  
*palia* quàm *principalia*, circa incessum Jesaiæ occurrentia,  
 evolvemus: & quidem primò evolvendæ sunt quæstiones,  
 quæ circa *injunctum & executioni datum* hoc signum, de-  
 inde quæ circa idem *applicatum* occurrunt. I. circa *injun-*  
*ctum* hoc signum incessus quæritur (1) *de Chronologia* sive  
*tempore* mandati hujus, & quis ille *Tartan & Sargon*, quo-  
 rum *Chronologia* s. *tempus* mandati meminit: v. 1. (2) quæ-  
 ritur *de subjecto* mandati incessus, nempe *Jesaiæ*: quomo-  
 do per ipsum DEUS sit *locutus* dicendo: vade &c. quod  
 tamen DEUS ad ipsum dixit, quodque *faciendum* à Jesaiæ  
 solo erat? v. 2. (3) circa *formam* incessus, an *Jesaias sacco*  
*indutus* fuerit, cum solvere illum juberetur, ut nudus in-  
 cederet, & quid per *sacrum* h. l. intelligatur? v. 2. (4) circa  
*executionem* mandati, utrum per *modum visionis* tantum,  
 an revera sit factum, quod de incessu Prophetæ nudi hîc  
 narratur? v. 2. (5) circa eandem *executionem* quæritur, *quo-*  
*modo nudus* incesserit? utrû *ex parte*, an verò per totum se  
 nudaverit? II. circa *applicatum* verò hoc signum incessus,  
 quæritur (1) *de tempore trium annorum*, an illi tres anni in-  
 cessum Prophetæ nudi; an verò gentes *Mizrajim & Cusch*  
 captivandas & denudandas respiciant? v. 3. (2) si tres an-



ni non prius sed posterius respiciant, an hoc ipso significetur, quod *Mizrajin* & *Cusch* post tres demum annos per Assyrios captivi sint ducendi; an vero calamitas & bellum, per Assyrios Ægypto & *Culch* inferendum, per tres annos sit duraturum?

§. 4. Ad I. quæstionem circa signum hoc incessus *Jesaiani* mandatum, quæ quæritur minus principaliter de *Chronologia* seu tempore mandati hujus, & quisnam ille *Tartan* & *Sargon* fuerit, quorum hîc *Chronologia* meminit, quam *Jesaias* his enarrat verbis: *In anno, quo ingressus est Tartan in Asdod, quum misisset eum Sargon Rex Assur & pugnasset contra Asdod & cepit eam, tempore (inquam) illo Jehova est locutus &c.* Ad hanc quæstionem respondetur, tempus vaticinii (quod *Propheta* diligenter consignavit, ut majorem *Prophetiæ* fidem faceret) esse annum, quo *Asdod*, *Satrapia* quondam *Philistina*, ab idolo *Dagonis* nota 1. *Sam.* 5. 2. à *Tartane* jussu *Sargonis* *Assyriæ* Regis oppugnata fuit & expugnata (tunc enim temporis necessitas urgebat *Jhudæos*, ut ad externa gentium auxilia confugerent) & *Tartanem* fuisse bellicum Regis *Assyriæ* ducem & legatum: quod quidem scire ex versu primo sufficere nobis posset; si quis tamen ulteriorem viri hujus cognitionem desiderat, remittimus illum ad 2. *Reg.* 18. 17. ubi *Tartan* inter duces Regis *Assyriæ* *Sancheribi* (conf. præced. v. 13) numeratur & ad *Chiskiam* Regem *Jhudæ* missus memoratur; nec ratio nobis occurrit, cur alius hoc loco *Tartan* fuerit dandus. At verò dices: *Tartanem* hîc quidem apud *Jesaiam* quoque missum à Rege *Assyriæ*, verum non à *Sancheribo*, uti ille 2. *Reg.* 18. sed à *Sargone*, perhiberi: Ergo alium hîc esse *Tartanem*, *Sargonis* ducem; alium vero illic *Sancheribi* legatum

legatum videri. Sed Resp. non absonum esse, si dicamus, Tartanem ducem hunc duorum planè Regum Assyriæ successorum, nempe Sargonis & *Sancheribi*, fuisse Ministrum. Ad *Sargonem* verò ipsum quod attinet à quo Tartan hîc ad expugnandam Asdod contra Philistæos missus perhibetur, de illo quidem ex hoc ipso versu primo capituli 20. constat, quod Assyriæ Rex fuerit; sed disputatur, utrumne Sancherib ipse, an Sancheribi primogenitus, an verò Salmanassar fuerit, Sancheribi antecessor? Tot enim de Sargone hoc sententiæ Interpretum leguntur, quibus non implicare videtur, si Sancheribus imò & Salmanassar binomines fuisse vel nomina habuisse plura dicantur: siquidem Rabbini octo planè nomina Sancheribo fuisse scribunt, teste R. Kimchio h. l. *B. Varenius* verò, qui solito brevior hîc est, in Comment. ad Jsaï. p. 144. mavult, *Sargonem* fuisse *Sancheribum*, quippe cujus Minister l. c. 2 Reg. 18. Tartan fuisse perhibetur. Et *Calvinus* in Comment. h. l. cogimur, inquit, *fateri propter hunc locum 2 Reg. 18. Sargonem hunc fuisse Senacherib, cui duo fuisse nomina hinc facile est colligere. Sanctius* autem *Jesuita* in h. l. prolixè hac de re agens, Sargonem mavult esse Salmanassarem; quamquam fatetur, nihil sibi exploratum esse. Subscriberemus hîc *B. Varenio* propter locum jam citatum, si necessitas appareret tanta, ut Sargonem hunc fuisse vel Salmanassarem vel Sancheribum; & non potius tertium aliquem, diceremus, qui inter Salmanassarem & Sancheribum regnavit; vel si absurdum planè foret statuere, Tartanem duorum fuisse Regum Assyriæ ministrum.

S. 5. Quæritur II. circa *subjectum* injuncti hujus typi l. *inceffus*, quod *Jesaias* Propheta est, *quomodo DEUS*

per *Jsaïam* locutus hoc dici possit, dicendo: *vade &c.* quod tamen *DEUS* ad ipsum dixit, quodque faciendum à solo fuisse *Jsaïa*? item quid sibi velit phrasis: *loqui per manum Prophetæ*, cum non manu sed ore locutio fiat? Ita enim habent verba juxta fontem Hebræum reddita: *in anno illo locutus est Dominus, per manum Jsaïæ filii Amoz, dicendo: vade & solve saccum &c. & sic fecit eundo nudus & discalceatus.* Respondet quidem *I. C. B. Varenius*: *jussus est Prophetæ id publicare, quod arcano dictamine divino jussus erat facere.* Sed quia paulò brevior & hinc obscurior est responsio, majoris adhuc lucis ergo, notamus (1) Hebræum hîc stylum esse concisum, uti alibi nonnunquam esse solet; siquidem verba quæstionis: *locutus est Dominus per manum Jsaïæ*, ita conjungit cum immediatè seqq. (*dicendo, vade*) ac si ad subsequentiâ non pertineant, cum tamen non tam voces immediatè sequentes jam citatas (*dicendo, vade*) quàm totam capituli hujus Prophetiam, præsertim verba versuum 3. 4. 5. 6. respiciant, quæ Dominus per *Jsaïam* locutus est dicendo: *sicut servus meus Jsaïas nudus & discalceatus incedit, ita Rex Assyriæ abducat &c.* adeoque si distinctius vel magis explicatè locum exprimere vellemus, ita possemus: *Tempore illo Dominus per Jsaïam filium Amoz locutus est, & quidem ita ut primò quidem ad ipsum dixerit Dominus: vade & solve &c.* deinceps verò per ipsum locutus sit: *sicut servus meus nudus &c.* (2) sciendum, quod in verbis: *locutus est Dominus* יְיָ *per manum Jsaïæ*, locutio sit Hebraica, Scriptoribus *V. T.* frequens & usitata, quæ vox יְיָ i. e. manus pro quovis ministerio vel instrumento adhibetur, & quandoque etiam penitus abundare videtur, adeoque h. l. significet, Dominum loqui vel prædicere vel promittere vel minari per ministerium & operam

ram Prophetæ: quomodo 1 Reg. 8. 53. sicut dixerat כִּי  
per manum Moſis ſervi tui. Cont. 2 Reg. 17. 13. Exod.  
4. 13. &c. Vid. etiam Glaſſ. Phil. S. l. 3. Tr. 1. can. 38. p. m.  
139.

§. 6. *Qv.* III. circa formam inceſſus, quid per ſac-  
cum intelligatur, quem ſolvere hîc Propheta jubetur, ut  
nudus incedat? utrum iſte vilis & lugubris fuerit *habitus?*  
& ſi hoc, quomodo factum, quod ſacco fuerit indutus?  
an verò per ſaccum hîc *pallium* intelligatur *Propheticum?*  
ita enim ſententiæ de ſacco variant: ſiquidem nonnulli  
putant, ſaccum hîc fuiſſe *pallium* ſ. *habitum Prophetis uſita-  
tum* ipſiq; adeo Prophetæ noſtro ordinarium, id quod ex  
Sachar. 13. 4. & exemplo cum Eliæ 2 Reg. 1. 8. tum *J. Ba-  
pitiſta*, qui ad ſimilitudinem Eliæ veſtem geſtavit ex came-  
lorum pilis contextum, probare geſtiunt, & hoc quidem  
aperte hîc Sanctio liquere videtur in Comment. h. l. p. 203.  
nec refragatur iis *B. Varenius* in Comm. h. l. dum ait:  
*Ponenda fuit veſtis ſ. pallium Propheticum; vid. de illo villoſo  
veſtimento Sach, 13. 4.* Aliis verò illud, quod de *pallio* dicitur  
*Propheticum*, conjectura eſt nimis infirma & multum  
coloris non habens, qui credibile magis cenſent, Prophe-  
tam *sacco ſ. veſte lugubri* fuiſſe indutum, quod deſleret tum  
cladem Iſraelis per Salmanaffarem abducti, tum Jhudææ  
ſecuritatem: qualis fanè habitus lugentium erat, uti ex Jo-  
el. 2. 13. (addo Gen. 37. 34.) apparet. Tanta enim in Jhu-  
dæa fuit ſecuritas, ut quum fratres ſuos miſerè afflictoſ  
diſſipatoſque viderent, non tamen moverentur; interea  
ſe extra teli jactum eſſe putarent. Unde & Micheas con-  
queritur c. 1. v. 10. neminem lugere calamitatem Iſraelis.  
Vid. *Calvinus, Muſculus & Marloratus* in Coſmentariis h. l.  
Ab his verò diſcedit *B. ſeb. Schmidius* in Comment. h. l.  
exiſti-

existimans, forte non esse necessum vel istud, de pallio Proph. vel hoc de veste lugubri, circa hunc locum asserere: quid enim (inquit) si dicas, quod alias sapissimè sit, hoc quoque loco fieri, ut unum verbum in brevitae sermonis pro duobus sit positum, ut dictum sit solve saccum, pro: indue saccum & solve eum. Haftenus ille. Nobis quid videatur ex seqq. patebit.

§. 7. Ad (1) ergò sententiam de habitu villosò Prophetis usitato quod attinet, non negari quidem potest, Prophetis illum fuisse usitatum: siquidem allegatus antè locus: 2 Reg. 1. 8. diserte satis testatur, quod Elias fuerit אִישׁ בְּעַל שֵׁעַר וְאוֹר עוֹר אֹזוֹר i. e. *Vir Patronus* (Dominus) pili i. e. homo pilosus (hirsutus) & cingulo pellicio accinctus: & alter locus Sach. 13. 4. dicit, *Prophetas falsiloquos non amplius vestitum iri* אֲדַרְתָּ שֵׁעַר i. e. *pallio piloso, ut mentiantur*; inde tamen non evincitur firmiter, vocem שֵׁעַר quæ h. l. cum ה demonstr. habetur, significans *saccum*, notare vestitum Prophetis usitatum ipsiq; adeo Isaiæ ordinarium: aliud enim est אֹזוֹר עוֹר i. e. *cingulum pellicium*, quo cinctus est Elias, & אֲדַרְתָּ שֵׁעַר i. e. *pallium pilosum*, quo falsiloqui Prophetæ mentiebantur; aliud שֵׁעַר s. *saccus*. Sane enim vocabulum שֵׁעַר modò de sacco tali adhibetur, quo frumenta capiuntur, in historia fratrum Josephi Gen. 42. 5. & in historia Gibeonitarum Jos. 9. 4. modò de vilè lugentium & pœnitentium vel etiam coram DEO se humiliantium habitu, quem LXX. σάκκος, & vetus interpret latinus sæpe *cilicium* interpretatus est, vid. Gen. 37. antep. Isai 3. v. antep. 1 Reg. 20. 31. 32. c. 21. 27. 2 Reg. 19. 1. 2. Esther 4. 1. 2. 3. 4. Unde famosiorè potius significationem vocis de sacco, quàm illam de pallio Prophetis usitato sectamur; cumque saccus frumentis capiendis destinatus huc

huc non quadret, altera significatio de vili lugentium & coram DEO se humiliantium habitu obtinebit. Equidem non ignoramus (1) vocem quæstionis פו i. e. *saccus*, quando vilem lugentium & pœnitentium vestem designat, ab Interprete Latino veteri sæpius *cilicium* verti, quod est tunica plerumque ex hircorum five caprarum camelorumve pilis contexta: neque dubium est quosdam è faccis talibus fuisse ex pilis contextos, unde *cilicia* vocantur à materia scilicet pili caprarum; *facci* verò à forma: angusti enim minimèque fluctuantes erant, sicut hodie pallia lugentium & tunicas clericorum fluctuare videmus. Prius nempe materia vel ex Apoc. 6, 12. clarescit, ubi *saccus* dicitur ט'י'i' i. e. *niger sicut saccus cilicinus* h. e. ex pilis factus: ט'י'i' enim est ex ט'י'i' *pilus*. Qui locus Apocalypsi præterea quoque illud revelat, quod *facci* tales five *cilicia* nigri fuerint coloris, qualis color mœstis & pœnitentibus sequè humiliantibus maxime est conveniens. Neque (2) nos fugit, quod B. Hieronymo in vita Hilarionis sub finem, tunica, qua Sanctus ille fuit usus, appelletur *saccus* & *cilicium*; inde verò nondum conficitur, quod generatim omnis *saccus* five *lugentium* similiumque habitus fuerit pilosus, & speciatim hujus loci *saccus*, quem solvere Jesaias jubetur, ut nudus incedat, habitus fuerit Prophetis usitatus & Jesaiæ ordinarius, & non potius vestis vel tunica vilior ac lugubris, quem non ita pridem induerat, eò quod publicè lugeret, cum propter Israelitas Jhudæorum fratres misere afflictos & per Salmanasserem abductos 2 Reg. 17, 6. tum propter securitatem Jhudæorum, captivitate illà fratrum suorum minimè commotorum, vel propter instans flagel-

P p

lum,

hum, quo percutiendus quoque Jhudah erat, quemadmodum alias Prophetæ inter prophetandum gestus lugentium stupentiumque; usurpaverunt, de quibus infra §. 14. Sententiæ de veste non Propheticâ sed viliori favere videtur *B. Seb. Schmidius* in verbis supra §. 6. citatis; in eo tamen abs nobis recedit, quod putat, unum hîc verbum פתח i. e. *aperi* vel *solve* (vid. Jesai. 58, 6.) in brevitate sermonis pro duabus positum adeoque dictum esse: *solve saccum pro: indue saccum & solve eum.* Quum verò Is particulam *forte* adhibeat, nec probet id, quod de sermonis brevitate hîc ingerit, nec absque necessitate talem sermonis brevitate prætere nobis liceat, ubi verba sic satis sine illa clarescunt, sensusque non difficilis est, nondum Eidem hîc assentiri possumus, qui ad aliam potius quæstionem properamus.

§. 8. Quæritur enim IV, circa executionem mandati de incessu, an mandatus hîc & factus Prophetæ *incessus reverâ contigerit*; an verò *in visione* tantum Prophetæ ostensum hoc fuerit, sicuti vel somniantibus vel ipsis quoque Prophetis evenire solet e. c. Jeremiæ: cui in visione duo *corbes sicorum* à DEO fuerunt ostensi, Jerem. 24. .i. 3. Nonnulli quidem Interpretes, ut *Calvinus* in Comment. super Jesaiam h. l. p. 163. & ex eo *Marloratus* in Expos. Eccl. Isai h. l. referunt, receptum magis esse, quod Prophetam nunquam se nudaverit, sed hoc per visionem ei ostensum fuerit, idque semel, eo quod (1) toto is triennio per æstum & frigora aliasque cœli injurias nudus incedere non potuerit (2) quod nuditas illa Prophetæ fuerit indecora; sed rectè Ipsi sententiæ de visione contradicunt & revera nudum incessisse Prophetam affirmant. Idem quoque *Hieronymus, Lyranus, Sanctius, Cornelius à Lapide, Musculus, B.*

VARE-

*Varenius, B. Seb. Smidius & alii h. l. sentiunt.* Neque enim supervacaneum putetur, quod mandato statim addantur hæc verba: *ויעם כן הלהך ערום ויחך* i. e. *& fecit sic, eundo nudus & discalceatus*: quippe quibus mandati executio dilertè satis insinuat. Præterea incessus ille Auditoribus Jhudæis signum denudationis & abductionis gentium Mizrajim & Cutch, quibus confidebant, esse debebat: Ita enim seqv. v. 3. Dominus per Jesaiam loquitur: *Sicut ambulat serpens meus Jesaias nudus &c. in signum & portentum super Mizrajim & super Cusch: ita ducet Rex Assyria &c.* At verò signare populo non potuisset, si mera visio incessus ille fuisset. Non enim verbis tantum, sed & signo visibilique Symbolo futuræ cladis gentium harum præco Jesaias fuit, ut animos audientium simulque spectantium magis permoveret: quia quæ oculis subjiciuntur, altius infiguntur animis, quam quæ auribus tantum percipiuntur, quod olim quoque Horatius intellexit, dum lib. de arte cecinit:

*Segnius irritant animos demissa per aures,  
Quam quæ sunt oculis subjecta fidelibus.*

Neque advertæ rationes paulò antea ex *Calvini* commentario citatæ tanti sunt, ut à nostra nos sententia dimovere queant. Ad (r) enim respondemus (a) hæctenus Prophetam domi & in publico vestitum fuisse sacco tanquam veste lugubri & pœnitentia; sed nunc ubi ad docendum prodire voluit, jussu DEI nuditatis spectaculum populo fuisse, sed non *roto* (quod opponitur) *triennio*: siquidem id in fonte non habetur, quod infra §. II. ad Qv. VI. ostendimus. Resp. (b) si vel maximè diutius dicto incessisset nudus, an putaverimus, DEO id jubenti difficile fuisse, Prophetam contra æstum & frigora munire & servare?

Pp 2

Ad



Ad (2) resp. (a) existimandum non esse, Prophetam ita se totum nudasse, quin eas texerit partes, quæ minus decorum præbituræ conspectum erant: (b) quod DEUS jubet atque ordinat indecorum non est. Sed *modum* incessus nudi sequens quæstio pluribus exponit.

§. 9. Quæritur enim V. circa *modum* incessus nudi, *quomodo se nuditas* Prophetæ habuerit? an nudus planè omni posita veste, etiam iis partibus, quæ propter honestatem tegendæ fuerant, Propheta incesserit? an verò non planè fuerit nudatus, sed extimam tantum vestem vel saccum deposuerit? *Hieronymus* quidem Comment. in *Isaiam* & *Hector Pintus* h. l. uti & *Corn. à Lapide* Comm. h. l. p. 206. aliique affirmant prius, urgentes verba textus: *Et fecit ita, eundo nudus.* *Calvinus* verò & *Sanctius*, itemque *B. Varenius* & *B. Seb. Smidius* aliique negant prius, & posterius statuunt, quibus nos quoque suffragamur, sequentibus inducti rationibus: quod (1) Propheta hîc non jubetur omnem omnino vestitum, sed modò *saccum* deponere & *calceos* detrahare i. e. extimam vestem, quam luctus causa, juxta *Kimchium* quoque, reliquis superinduerat. (2) Quod ille etiam nudus incedere dicatur, qui sine toga, qua cæteroqui solet vestiri, vel malè vestitus incedit. Facit huc illud *Senecæ* l. 5. de beneficiis c. 13. *uti quædam, etiam si verè non sint, propter similitudinem* (addimus vicinitatem) *eodem vocabulo sunt comprehensa: Sic qui malè vestitum videt, nudum se vidisse dicit.* Ita ille. De tali enim dicere solemus: *Er gehet nackt herein.* Referimus huc sequentia scripturæ loca *Ijob. 22, 6. vestes nudorum exui fecisti* *Matt. 25, 36. nudus fui* & *cooperuistis me.* *Jacob. 2, 15. si frater vel soror nudi fuerint* & *egentes* *Mich. 1, 8. incedam spoliatus* & *nudus.* Ita & *Saul* *1 Sam. 19. dicitur cecidisse nudus toto die*

ac nocte cum Prophetis, non simpliciter sed ex parte, deposito nempe amictu regio. Denique (3) quod ratio quoque typi pro nostra expositione censeatur militare. Cum enim incessus hic Prophetæ nudi vilissimum captivitatis vestitum præfigurare deberet, quem incolæ Mizrajim & Cusch ab Assyriis captivandi erant habituri; uti seqv. 3. versu disertè memoratur; captivi autem non planè nudi, sed tantum laceris & brevibus incedere vestibus, vel ex parte modò denudari à barbaris & immitibus populis, quales hic Assyrii, soleant: siquidem illis nil nisi indumentum vile & angustum servituti aptum à direptoribus relinquitur; ecquis non videt, quod in typo etiam nempe in Jesaiæ nudi incessu, non omnimoda nuditas, sed aliqualis, quoad extimam vestem h. l. saccum, cœteris superindutum danda fuerit, adeoque Jesaias h. l. nudus à sacco, quem loco prophetalis amictus tunc temporis induerat, incesserit.

§. 10. Rationes adversantium utut morari nos velint, nihil tamen illas moramur. Opponit verò *Corn. à Lap.* (1) quod seq. v. 3. Propheta nuditate suâ dicatur hic portentum populi factus; portentum verò sit, si quis omnino nudus, non si in veste plebeja incedat. (2) quod seq. v. 4. Jesaias expressè dicat, sic *Regem Assyria abducturum esse captivos Mizrajim & Cusch, nudos & discalceatos, discopertis natibus, ad ignominiam Egypti.* Unde concludit: Ergo pariter Esaias nudis natibus incesset; si vero nudis natibus, quid mirum, si reliquo etiam corpore nudus incesserit? (3) quod Jesaias allegoricè nuditatem Christi in cruce repræsentaverit; quæ juxta Ambrosium, Athanas. Bonaventuram aliosque plena & omnimoda fuit. Sed Resp. ad (1) quod portenti satis fuerit, cum Propheta, qui alias exteriori veste

sive Prophetica sive luguburi indutus & calceatus incessit, nunc sine illa & sine calceis in veste breviori conspicendum se præbuit. Resp. ad (2) verba quidem versus 4. ita habent: sic ducet Rex Assur &c. nudos & discalceatos & *discoopertis natibus*, vel juxta fontem <sup>וְרַשׁוּפֵי שָׁת</sup> i. e. *imò discoopertis natibus* &c. adeoque verba hæc plus dicunt quam in ipso Jesaiæ signo fuit; hic vero sciendum est, quod uti *sæpe plus est in typo quàm in antitypo* e. c. multa in sacerdotio V. T. fuerunt, quæ antitypo nempe Sacerdotio Christi non quadrant, ut quod V. T. sacerdotes oportuerit pro suis ipsorum peccatis offerre, & quod multi in V. T. sibi succedentes fuerint sacerdotes: ita etiam *contra plus sæpe est in antitypo quàm in typo figuratum est*, e. c. in Christo antitypo vel alia readumbrata longè plura occurrunt, quam quæ in typis e. c. in Mose mediatore Gal. 3, 9. in Melchisedeco Gen. 14. Ebr. 7. spectantur. Vid. *Glass. Phil. Sacr. l. 2. part. 1. Tr. 2. sect. 4. canon. 2. & 3.* Proinde Cornelii consequentia hæc non valet: Rex Assur gentes Mizrajim & Cusch abduxit nudos & discalceatos & discoopertos natibus: Ergo pariter Jesaias non tantum nudus & discalceatus, sed & discoopertus natibus incessit. Accedit, quod hæc verba quasi additamentum amplificans subjungantur: *imò discoopertos natibus*, q. d. non tantum nudos & discalceatos, cœu Jesaias incessit, sed præterea etiam discoopertos natibus abducat. Siquidem particula <sup>וְ</sup> quæ h. l. in voce <sup>וְרַשׁוּפֵי שָׁת</sup> i. e. *& discoopertos*, habetur, nonnunquam adverbium corrigendi, *imò, quin* significat, uti Psalm. 7, 5. *Si intuli malum mecum pacem colenti*, <sup>וְאֶרְצָה</sup> *quin imò eripui hostiliter insequentem me immerito.* Conf. & Prov. 6, 16. Act. 7, 43, de qua particula hujus significatione conf. *Glass. Phil. Sacr. L. 4. Tr. 1. Obs. 7. n. 3.* Resp. ad (3) ridendo potius quàm loquendo. Et si

vel maximè Jesaiam nudum etiam Christi fuisse typum concederemus, quis crederet hîc Cornelio dicenti, quod Christus planè nudus è cruce fuerit suspensus, licet id non tantum Ambrosius & alii ex veteribus, sed ex recentioribus etiam Salmasius, Gerh. Joh. Vossius & alii cum ipso asserant. Quod verò Autores de cruciariis circumferunt, illos fuisse nudos cruci affixos, hoc non de totali sed aliquali tantum & magna corporis nuditate intelligendum. Hinc B. Job. Gerbardus in Harm. Evang. in Passion. c. 13. ita scribit: *Recte monet Abulensis hoc intelligendum de omnimoda nuditate; sed sicut aliis crucifigendis, ita quoque Christo, publica honestatis causâ relicta sunt scemoralia linea, quæ superiori parte sub umbilico fortiter adstricta, usque ad genua & poplites veniebant, qualia Judæis in usu fuisse commemorat Hieronymus in Epist. ad Fabiolam.*

§. II. Quæstionibus his circa incessum mandatum & executioni datum hætenus expositis, succedit alia circa signi hujus applicationem consideranda, & quidem in ordine VI. de tempore trium annorum v. 3. in protasi applicationis, & quidem in verbis *שלוש שנים אות ומופט על מצרי* positum, de quibus adeò quæritur, an illi tres anni ad signum nempe incessum Prophetæ nudi & discalceati; an v. ad signatum, scilicet ad Ægyptum & Cusch denudandos pertineant? Prius quidem non pauci sed cum discrimine affirmant: nonnulli enim ex his cum R. D. Kimchio uti & Förstero ac Forerio tres annos ad signum, nempe incessum Jesaiæ ita referunt, ut dicant, Prophetam toto planè triennio circummivisse nudum, & juxta hos talismodi versio versus tertii esset danda: *sicut ambulavit servus meus Jesaias nudus & discalceatus tribus annis &c.* Alii vero cum Hieronymo aliisque tres annos incessum quidem Jesaiæ nudi respicere

cere dicunt; sed illos tres annos tantum in *signo* pro *tribus* positos *diebus*, qui signum tot annorum fuerint, censent, pro suaque hac sententia locum Ezech. 4. v. 6. adducunt, ubi quadraginta dies, quibus Propheta ibi super latus dextrum dormire jubetur, quadraginta annos significant. Cui sententiæ etiam *Santius* favere videtur in *Comment. h. l.* Eandem quoque sententiam *Lyrano* tribuit *Musculus Comm. h. l. p. 286.* Ipse verò neutri horum subscribit, cum in mandato Jesaiæ nulla temporis mentio sit facta, quamdiu scilicet ac quoties incedere nudus deberet, adeoque semel tantum Jesaiam in publicum produisse nudum contendit. *Calvinus* quoque in *Coment. h. l.* tres annos non ad signum Prophetici incessus, sed ad signatum nempe ad *Agyptum & Cusch* denudandos refert, dum ad voces quæstionis (tribus annis) p. 163. ita commentatur: *cur hoc tempore? quia præfixum erat Agyptiis & Aethiopibus, quibus interim probare volebat populi sui obsequium, ut sine cunctatione abdicarent illicitis subsidiis & scirent Agyptios & Aethiopes non procul esse ab illa clade.* Dicuntur hæc à *Calvino* verosimilius quidem, sed non probantur. At vero *B. Varenius* ad quæstionem: *an per tres annos ita incesserit Propheta?* breviter respondet negando, & rationem addit hanc: **שלוש שנים** five tres anni, copulantur cum **אור ומופת** i. e. signo & portento, & disjunguntur ab incessu. Cui & nostrum addere calculum non dubitamus, præsertim cum à suffragio quoque *B. Seb. Smidii* in *Comment. juvemur.*

§. 12. Ut verò probatio sententiæ de *tribus annis* non ad incessum Prophetæ, sed ad signatum referendæ paulò clarior fiat, ad fontem hîc Ebraum pro more nostro recurremus, quippe in quo (1) voces quæstionis **שלוש שנים** i. e. tres anni per accentum majoris distinctionis Atnach,

Atnach, sub præced. voce **וַיֵּי**, e. *& discalceatus*, positum, disjunguntur à præcedentibus, nempe ab *incesso* Prophetæ *nudi & discalceati*. Ex quo proinde sequitur, illas esse cum seqq. nempe cum **אִתּוֹ וְיָמָּוֹתָיִם** h. e. *signo & portento*, construendas, adeoque textum non ita vertendum: *quem admodum servus meus Jesaias nudus & discalceatus incescit tribus diebus*. Id quod Kimchio & aliis præced. §. II. nominatis opponimus, qui tres annos ad incesum Prophetæ referunt, statuentes illum toto triennio nudum circumivisse. (2) Eadem voces quæstionis in fonte quidem, ceu ostensu, disjunguntur ab incesso Prophetæ, qui membro præcedente nominatur, & construuntur cum seqq. *signo & portento*; non tamen in arctissima constructione, quæ regimen vocatur, ceu ipse vocum positus, qui talis est: **שָׁלוֹשׁ שָׁנִים אִתּוֹ וְיָמָּוֹתָיִם** satis ostendit, neque adeo voces illæ transferri sic possunt: *trium annorum signum & portentum*, vel: *Zum Zeichen und Wunder dreier Jahr*; prout *Vulgatus & Vatablus* itemq; *Lutherus* verterunt, qualemq; versionem supra etiam memorata commentatio Hieronymi & aliorum de *signo trium annorum* i. e. *trium dierum*, quibus Propheta nudus incescit, requirere videtur. His verò ita ex fonte præmonitis & præsuppositis (3) voces quæstionis **שָׁלוֹשׁ שָׁנִים אִתּוֹ וְיָמָּוֹתָיִם** i. e. *signum & portentum super Ægyptum* &c. (ad protasin applicationis adhuc pertinentibus & parenthesi includendis) novum postulant verbum & quidem substantivum **הָיָה** *fuit*, cujus sanè ellipsis apud Hebræos maximè freqvens est. Vid. *Wasmut. Append. Gram. Heb. p. 282.* id quod etiam *LXX. Vulgatus & Vatablus* observarunt, quippe qui verbum hoc substantivum addiderunt, hoc modo: *trium annorum signum & portentum in eis erit super Ægyptum & Cascb.* Cum verò ne sic quidem de sensu verborum totius tertii versus, hætenus expositorum, perfectè constet, quan-

do sic habent: *sicut servus meus Jesaias incessit nudus & discalceatus, tres anni signum & portentum erit super Ægyptum & Cusch;* proinde (4) notandum, quod non modò verbum illud substantivum  $\text{תרי$  quod per ellipsin h. l. omissum, non in futuro per *erit*, cum LXX. Vulg. & Vatablo; verùm per participium existens sit efferendum: sed & alia adhuc danda ellipsis ad nomen numerale  $\text{שלוש}$  tres, & quidem ellipsis particulæ  $\text{ו}$ , i. e. *in*, quæ pariter apud Hebræos satis frequens est. Vid. Glass. Ph. S. l. 4. Tr. 1. Obl. 6. not. 3. item Wasmut. l. c. p. 283. & suprâ Disp. 6. p. 96. Laudamus hîc Lutherum, qui talem quoque ellipsin particulæ  $\text{ו}$  in hîc observavit; quanquam illam non ad vocem  $\text{שלוש}$  tres, uti fas erat & comòditas sensus postulabat; sed ad sequens nomen  $\text{תרי$  i. e. *signum* subaudivit, reddendo: *Zum Zeichen und Wunder dreier Jahre.* Atque ita sequens comòda satis loci versio exurgit: *sicut incessit Jesaias servus meus nudus & discalceatus, (שלוש) in tres annos signum & portentum existens super Ægyptum & Cusch) ita ducet Rex Assur captivitatem Ægypti & transmigrationem Cusch* i. e. ducet in captivitatem & terram alienam.

§. 13. Cœterùm hîc ulterius jam VII. de signato quæritur, an scilicet, si tres anni modo jam ostenso non ad incessum Prophetæ, tanquam signum; sed ad Ægyptum & Cusch denudandos, tanquam signatum, respiciunt, an, inquam, hoc ipso significetur, quod *Ægyptus & Cusch post tres demum annos per Assyrios captivi sint ducendi*; an verò calamitas illa & bellum per Assyrios Ægypto & Cusch inferendum *per tres annos sit duraturum*? certè Prophetæ verba de tribus his annis (*in tres annos signum & portentum existens super Mizrajim & Cusch*) ita sunt comparata, ut tam de priori quam posteriori queant explicari. Unde & Interpretes alii hoc alii illud arripiunt. Posterius placet Hieronymo; prius verò non quidem improbabile videtur *Sanctio* in Comment. h. l. p. 204. (quod &

B. Vare.

*B. Varenius in mente videtur habuisse, dum ad h. l. p. 144. ab init. dicit: inaccessus Prophetæ nudi signum & ostentum est erietericum sive tertii ab hac Prophetia publicata anni; idemq; Junius statuit dicendo: signum est tertio anno post hanc prophetiam fore, ut fundantur & captivæ sint Ægyptiorum & Æthiopum copia, quas ducturus est Tirakab, cujus mentio fit 2 Reg. 19. v. 9.) deinceps tamen Sanctius cum Hieronymo posterius probat, quod scilicet trium annorum spatio duraturum sit bellum, quo Rex Assur provincias Mizrajim & Cusch exhauriet & in illam calamitatem & ludibrium adducet, quod Propheta hîc prædicit; & hoc sine Is provocat ad 2 Reg. 19. 29. & Jesai. 37. 30. ubi Propheta mentionem signi trium annorum facit, quibus elapsis solvenda esset Jerusalem ab oppugnatione Regis Assyriæ Sennacheribi, illosq; tres annos ab illo tempore numerandos esse putat Sanctius, quo Tirhaka Rex Cusch Assyrios ab obsidione urbis Jerusalem summovit, juxta 2 Reg. 19. 9. & quo tempore Propheta ad Regem Chiskiam v. 29. dixit: comedite hoc anno deciduum, & secundo anno quæ sponte nascuntur; tertio autem anno seminate & metite: quoniam scilicet eo jam tempore pacata fuerint omnia & à metu soluta. Nam statim ac Assyrius ab expugnandis Ægyptiis & Æthiopibus confederatis in Jhudæam rediit, deleto ab Angelo exercitu ejus, tutò agri Solymitani potuerunt seminari, ut Sanctius ait: Eandem quoque sententiam fovit Tirinus, ad h. l. scribens: Cæpit (triennium) anno 14. Chiskia (vid. 1. Reg. 18. 13.) quo Sennacherib audito adventu Thiracæ contrâ eum perexit, relicto in Judæa Rabface, teste Josepho: tertio post anno expulsi jam Æthiopia & Ægypto, in Judæam recurrit, ubi ab Angelo casus est exercitus ejus. Ita illi. Nos verò cum obscurè Propheta de tribus hîc annis loquatur, nostraque non adeo referat, ultra hîc sententia sit præferenda, sensu loci jam expedito, ad usum quoque indigitandum transimus.*

*S. 14. Usus verò loci l. est didacticus. Discimus enim (1) quod usitatum sit Prophetis in concionibus tam monitoriis quàm vaticinatoriis, de rebus præsertim gravioribus, non tantum verbis monere & prædicere, sed & signis ac typis vel figuris res occultas sive presentes sive futuras portendere & præfigurare, ut animos audientium simul atque spectantium magis permoverent: quod præter Jesaiam hîc nudum & discalceatum non tantum Jeremias, sed & Ezechiel & Sacharias fecerunt. De Jeremia videantur inter alia Jerem. 13. 1. seqq. cap. 19. 1. 2. 20. c. 21. 2. seqq. c. 51. 63 De Ezechiele cap. ejus 2. v. 8. c. 4. 2. c. 12. 3. c. 24. 3. De Sacharia denique cap. ejus 9. v. 7. 15. &c. Notandum verò (1) signa sive typos hos dici typos Prophetia s. propheticos, ad discrimen typorum historia s. historicorum, quibus res*

in



in V. T. gesta vel facta, res in N. T. impletas, & præsertim Christum universæ scripturæ nucleum præfigurant & adumbrant. Not. (2) ejusmodi typos historia esse vel innatos, ut *Jonas* Matth. 12. 40. *serpens æneus* Joh. 3. 14. 15. *Melchisedecus*, Ebr. 7. 1. seqq. &c. vel *illatos*, & hos vel *oblatos* vel extortos. De his vid. Disp. nostra de *Melchisedeco*, de utrisque *Glassii* Phil. Sacr. 1. 2. part. 1. Tr. 2. Sect. 4. Art. 3. & 5. *Discimus* (2) quod *signa à DEO data* sive nudè significantia sint, quæ præsens *Jesaiam* fuit, sive rem simul exhibentia, quæ sunt Sacramenta, *magni sint faciendæ*, ita ut in visibilibus non subsistamus, sed invisibilia potius & occulta, quæ significant & exhibent, cum ad nostri informationem, tum ad fidei confirmationem, rectè contemplerur iisque piè utamur. *Discimus* (3) quod *vana sit DEOQUE displicens, quæ hominibus ut ut potentissimis adhaeremus, fiducia*. Cum enim *Jhudæi* in *Aegyptum* & *Cusch* fiduciam posuissent suam, ecce *DEUS* hîc signo incessus *Prophetæ* nudi præfigurabat denudandos & captivandos esse hos populos, quibus *Jhudæi* confidebant, ut agnoscerent, in baculo se arundineo fundari, adeoque ad *DEUM* refugerent, qui non deserit in ipsum confidentes. *Usus II. est pædæuticus. Monemur enim* (1) ut *DEO exactè & promptè obediamus*, ad exemplum *Jesaiæ*, quippe qui nudum se ad mandatum *DEI* ostendit, licet *Propheta* esset. Nihil humilibus piisque tam arduum tamque abjectum, quod non *DEO* jubente faciant promptè: siquidem in explenda voluntate divina suum sibi honorem & voluntatem constituunt. *Monemur* (2) ut quando *Jesaiam* hîc nudum conspicamur, *nuditatis nostræ tam naturalis*, de qua *Ijob. 1. 21. & 1 Tim. 6. 17.* quàm *spiritualis* *Gen. 3. 7. 10. 11. Apoc. 3. 17.* memores simus, ne efferamur, sed humilitati ac pietati studeamus. *Accedit III. Usus paracleticus. Etenim* (1) *solatium* inde fluit, quod *DEUS* signo incessus *Prophetæ* nudi revocare *Jhudæos* à vana in Gentes fiducia voluit, ne illâ decepti perirent; sed fiducia potius sua *DEO* adhærentes, servarentur. Inde enim *Φιλαυθροπία* *DEI* colligitur, quæ perniciem nostram non vult, sed salutem potius nostram paternè quærit. (2) In nuditate nostra naturali & spirituali, occasione nuditatis *Prophetæ*, erigamur memoriâ Domini & Salvatoris nostri *Jesu Christi*, qui pauper in solatium generis humani his interris incessit, imò & nudus in crucem actus, à nostra nos nuditate redemit, simulq; nobis stolam justitiæ vestesque salutis paravit, quibus meritò gloriamur, juxta *Jesai 61. 10. 11.* dicentes: maxima pro tali sit veste

GLORIA CHRISTO!

Ad  
Præeximium solertissimumque DN. RESP. RAHNIUM  
Post privata industriæ specimina, inter alia apud me in  
Collegio Theol. Disputatorio in Formulam Conc. & Contro-  
versias Syncretistico-Pietisticas nuperrimè edita,

jam nunc  
**De INCESSU JESAIÆ NUDI & DISCALCEATI**  
*publicè disputaturum.*

**Q**uando *Virum* toties Te, RHANI gnave, probasti,  
Cur, *fiasne* \* *Vir hïc*, Nomen, Amice, rogat?  
Nempe, quod Opponens jam Respondensque probasti  
Privatim, facies id quoque publicitus.

Artificem facit atque *Virum* creberrimus usus:  
Hinc exercitium crebrius artis amas.

Ergo pie *nudum* sistas faustèquè *Prophetam*;  
Non tamen *incedas nudus* ab eloquio.

Imo *Vir* haut tacitus cathedram petis; ore parato  
Cordeque præsentia fortia verba refers.

Hinc Tibi congrator nomenque decusque, precatus:  
*Ornamenta* \* *Vir hïc* nobiliora geras!

\* *Joannes Eriodericus Rahnius* :  
*Erisne Vir hïc ornandus ? fias !*  
*J. F. Ranius : Fiasne Vir ?*

LMQ

A. D. HABICHHORST, D.

Ad Clariss. DN. RESPONDENTEM.

**A**lpha Prophetarum, quem vates edidit Amos,  
Federis & sancto lumine præco novi.  
Quicquid habent reliqui, Divino numine tacti,  
In libro hic unus continet omne suo.

Ergo Isaiam qui rectè intelligit unum,  
Quid mirum est? vatum cætera cuncta capit.

Id Tecum tacito, RAHNI, sub pectore volvis,  
Unius ex curâ plurima scire volens.

Gratulor hanc mentem, Tua dumque industria crescit,  
Maturus fructus patriæ cara metet.

*Ita ex ardore Auditoris sui longè diligentissimi, quo in omne tra-  
norum studiarum genus fertur, merito ominatur*

JO. FECHT, D. P. P. Consist. Adess. & Distr.

Rostoch, Superint.

Dum

**D**Um *Vatem* memoras *nudum*, non *pectore nudo*  
Stabis; at eloqvii tegmine membra teges.

*Sic ominatur paucis & laudabiles conatus Nob. Dn. Resp.*  
*Auditoris sui perquam industrii felices dicit*

J. N. QVISTORP, D. P. P.

ad D. Nic. Past. & R. Min. Director,

**M**ortuus hunc *Esaiä* Virum Juvenemqvè coronat,  
Cui *Sanctus Vatum Dux Esaiä* placet.

Hunc lege scrutator bonus, & *pie Rhane*, cathedram  
Tanti collustra voce animoqvè Viri.

Non erit ingratus: terris Tibi ferta parabit,  
Æternisqvè olim Te sibi junget agris.

*Gratulanee calamo*

f.  
JOHANNES PETRUS Grünenberg /

D. P. P. Confil. Consist. &  
Superintendens.

**W**ie sehr Er / mein Herr Rahn / nach Wissenschaften strebet  
Wie bey den Büchern Er such seine besten Lust:  
Ja wie durch Gottes Geist Er nach der Tugend lebe /  
Das ist den wenigsten hier bey uns unberuoft.  
Wenn Er nun auch mit Ruhm jetzt öffentlich bezeuget /  
Wie viel bißher sein Fleiß und Mühe Ihn gefrucht!  
Wenn sein begierig Ohr zum Hören ist geneiget /  
Ja / wenn sein schneller Fuß der Lehrer Häuser sucht /  
So wünsch ich herzlich Glück! Es woll für solch Bemühen /  
Und Tugend-haftten Gang zum Gnaden-reichen Lohn  
Ihm Gott- und Menschen-Gunst im steten Wolseyrn blühen /  
Biß Er hierneest erlang die wolverdiente Krohn.

Aus aufrichtiger Bewogenheit setzte dieses schulbißgt und  
willigt seinem lieben Haus- und Tisch-Genossen

M. JACOBUS Burgmann /

P. P. und Prediger zu  
S. Nicol.







Ad  
Præeximium solertissimumqve DN. RESP.  
Post privata industriae specimina, inter alia  
Collegio Theol. Disputatorio in Formulam Conc.  
versias Syncretistico-Pietisticas nuperrimè ed

jam nunc  
**De INCESSU JESAIÆ NUDI & DISCA**  
publicè disputaturum.

**Q**uando *Virum* toties Te, RHANI gnave, probat  
Cur, *fiasne* \* *Vir hic*, Nomen, Amice, ro  
Nempe, quod Opponens jam Respondensqve probast  
Privatim, facies id quoqve publicitus.

Artificem facit atqve *Virum* creberrimus usus:  
Hinc exercitium crebrius artis amas.

Ergo piè *nudum* listas faustèqve *Prophetam*;  
Non tamen *incedas nudus* ab eloquio.

Imo *Vir* haut tacitus cathedram petis; ore parato  
Cordeqve præsentia fortia verba refers.

Hinc Tibi congrator nomenqve decusqve, precatus:  
*Ornamenta* \* *Vir hic* nobiliora geras!

\* Joannes Fridericus Rabnius:

*Erisne Vir hic ornandus ? fias !*

J. F. Ranius : *Fiasne Vir ?*

A. D. HABICH

Ad Clariss. DN. RESPONDENT

**A**lpha Prophetarum, quem vates edidit Amos,  
Federis & sancto lumine præco novi.

Quicquid habent reliqui, Divino numine tacti,  
In libro hic unus continet omne suo.

Ergo Isaiam qui rectè intelligit unum,

Quid mirum est? vatum cætera cuncta capit.

Id Tecum tacito, RAHNI, sub pectore volvis,  
Unius ex curâ plurima scire volens.

Gratulor hanc mentem, Tua dumqve industria crescit,  
Maturus fructus patriâ cara metet.

*Ita ex ardore Auditorii sui longè diligentissimorum studiorum genus fertur, merito*

JO. FECHT, D. P. P. Confist. A

Rostoch, Superint.

